

CATHOLIC UNIVERSITY

WASHINGTON

D. C.

10 jun. 1893.

REVERENDISSIME ET PERILLUSTRIS PROFESSOR,

Quam læto animo acceperim opera quæ Rev. tua dignata est mihi dono mittere, satis exprimere nequeo.

Inter Delegationis officia et minus læta opera, id mihi præcipuo solatio fuit passim legere et meditari quæ tam exactè, dilucidè et eruditè iis libris consignasti, quos arbitror effecturos magnam utilitatem legentibus qui veri nominis doctrinam et sinceram eruditionem fictis errorum fabulis præferunt.

Cœlites deprecor ut tua salus et ingenii vis ad plurimos ducatur annos, pro decore congregationis tuæ et pro totius Ecclesiæ catholicæ bono, ad eruditionem incipientium et ad provehendam quoque eruditorum intelligentiam.

Me habeas existimatione erga te plurimâ ac benevolentia addictissimum.

Fr. Ar. SATOLLI,

Deleg. Apost. Amer.

PRÆLECTIONES
PHILOSOPHICÆ

PROOEMIUM

Longè ante litteras encyclicas *Æterni Patris*, quibus SS. Pontifex Leo XIII philosophiam D. Thomæ catholicis omnibus scholis tenendam vehementer commendat, ea nobis firma erat opinio nullam aliam eâ veriolem esse hodieque opportuniorem. At ex eo tempore persuasio nostra firmior evasit atque certior. Porrò ad hanc sententiam adducti sumus, tum consideratis *absolutè* Doctoris Angelici philosophicis dogmatibus, tum etiam cum recentioribus systematibus *comparatis*.

§ I. *Declarantur præcipuæ sinceræ philosophiæ dotes.*

Philosophia veri nominis, quatuor potissimum dotes præ se ferat oportet. Debet nempe præ se ferre concordiam revelationis et rationis, traditionis et critices, sensuum et intellectûs, sensûs communis et metaphysicæ; quæ paulò fusiùs sunt exponenda.

I. *Oportet ut theologiæ sacræ subjiciatur.*

Sanè suæ sunt rationi vires ac partes, suumque spatium, in quo jure versari potest; at potest etiam falli, et sæpe fallitur, experiëntiâ teste.

Philosophia igitur oculos convertere debet ad veritatem *revelatam*, cujus est interpret Ecclesia catholica, ne in errorem decidat, et si erraverit, ab errore recedere, statim momento Ecclesiâ. Quamobrem falsò *absolutam autonomiam* sibi

vindicaret philosophia, ut quibusdam hodiernis placet; cùm enim minor sit et falli queat, theologiæ subjiciatur oportet, quæ, ut S. Thomas docet, « certitudinem habet ex lumine « divinæ scientiæ, quæ decipi non potest. » (1^a, q. 1, a. 5, c.)

Itaque licet ad theologiam non pertineat « probare principia aliarum scientiarum », quia singulæ propriis principiis innituntur, ad eam tamen pertinet « de eis judicare. Quid « quid enim in aliis scientiis invenitur veritati hujus scientiæ repugnans, totum condemnatur ut falsum. » (1^a, q. 1, a. 6, ad 2) (1).

Mirum igitur non est philosophiam theologiæ ancillam a doctoribus catholicis vocatam fuisse; quippe quæ illi tanquam superiori inferior subdatur ac famuletur (2). Hoc verò non tantum philosophiæ dignitati non derogat, sed etiam in adjutorium cedit. Revelatio enim vel eam præmonet, ne specie veri, falsæ novitatis amore capiatur, vel errantem reducit ad verum, vel ei quædam detegit quæ ipsa sola non invenisset, vel tandem confirmat veritates ordinis merè naturalis. Vehementer ergo improbanda est vox recentis cujusdam philosophi (Pauli Janet) : « *Malumus errorem liberè quæsitum, quàm veritatem serviliter acceptam.* »

Hæc quæ diximus, ipsâ philosophiæ historiâ comprobantur : constat enim philosophiam, sibi soli relictam et revelationis lumine orbatam, vel multum erravisse, vel in multis dubiam atque ancipitem remansisse. Cùm verò theologiæ amicam ac subditam sese exhibuit, tum etiam maximè floruit.

II. *Debet philosophia traditionem præ oculis habere, et ve-*

(1) « Quamvis naturales illæ disciplinæ suis propriis ratione cognitæ « principiis nitantur, catholici tamen earum cultores divinam revelationem veluti reatricem stellam præ oculis habeant oportet, quâ prælucente, sibi a syrtibus et erroribus caveant; ubi in suis investigationibus « et commentationibus animadvertant posse se illis adduci, ut sæpissimè « accidit, ad ea proferenda quæ plus minusve adversentur infallibili rerum veritati, quæ a Deo revelatæ fuere. » (Pius IX, in litt. ad Archiepiscopum Monacensem, 27 dec. 1863).

(2) Philosophia tamen immerito haberetur ut mera Theologiæ ancilla; siquidem est scientia specialis ac distincta, quæ « propriis ratione cognitæ principiis nititur » et propriâ methodo suas peragit investigationes suasque conclusiones educit.

terum sapientium sententias inquirere, juxta Ecclesiastici monitum illud : « *Sapientiam omnium antiquorum exquiret sapiens.* » (C. xxxiii, v. 1). Attamen ei licet diversa philosophorum placita in examen et criticam adducere; et, si ratio humana cum tempore profecerit, progressus ejus admittere.

Quod ad primum attinet, scitè dicit S. Thomas : « *Necesse « est accipere opiniones antiquorum, quicumque sint. Et « hoc quidem ad duo erit utile. Primò, quia illud quod ab « his benè dictum est, accipiemus in adjutorium nostrum. « Secundò, quia illud quod malè enuntiatum est, cavebi- « mus.* » (*De animâ, lib. 1, lect. ii*).

Alioquin multa sequuntur incommoda; vel enim longo tempore ac multis conatibus inquiretur quod ab aliis jam inventum dictumque est; vel quidam scriptores de se superbius sentiunt, et a se tandem inventum esse clamitant quod ab aliis hucusque ignorabatur, quanquam illi ipsi quos reprehendunt, eadem jam dudum tenuerint; vel tandem non pauci novatores, solis viribus suis innixi, omnique cæterorum auxilio destituti, labuntur in errores a quibus facilè abstinuissent. Nec desunt exempla : satis sit nominare Cartesium qui, nisi seipsum a cæteris segregavisset omnino, minùs errasset, et, ob ingenium quo quidem pollebat, magis profuisset philosophiæ.

III. *Debet philosophia tum a sensualismi, tum ab idealismi scopulis cautè declinare, concedendo sive sensibus, sive rationi suas partes, in explicandâ nostrarum cognitionum origine. Et hoc quidem jure fit; homo enim, utpote medius inter angelos et animalia, aliquid mutuatur ex hac duplici parte, indigetque mutuo sensuum et intellectûs auxilio, ut scientificam rerum notitiam adquirat. Si nimis sensibus tribuatur, favetur sensualismo, et dignitas hominis imminuitur; si autem nimis intellectui, falsò datur homini natura angelis propria, idealismus causam habet, et rerum externarum destruitur scientia objectiva.*

IV. *Debet philosophia nec a sensu communi recedere, nec supremas rerum causas negligere.*

Porrò sensus communis est humana ratio nondum studiis

exulta, sed qualis omnibus hominibus inest, ipsâ naturâ duce. Omnes enim ratione gaudent, cujus ope circa faciliores quasdam et magni momenti veritates ore uno pronuntiant: v. g. esse corpora propè posita, hominem constare an imâ et corpore, existere supremum Numen ab homine colendum, et alia id genus. Sensus autem ille hominum communis, quem *vulgarem* philosophiam dixerim, non potest erroneus esse, quin error in naturam, seu potiùs in auctorem ipsum naturæ redundet. Ei ergo contradicere nequit philosophia, nisi in erroris suspensionem veniat.

Ex aliâ tamen parte, sensus communis pro philosophiâ non debet haberi; hæc enim in investigandis *supremis* rerum causis tota versatur, quas aut ignorat, aut suspicatur tantùm vulgaris ratio.

Hæc demum sunt quatuor necessariæ dotes, quarum si vel plures desint, vel una desideretur, aut falsa, aut manca admodum adstruitur philosophia.

§ II. *Prædictis dotibus philosophia D. Thomæ præclare ornatur* (1).

I. *Mirum in modum rationem et fidem componit.*

Nam Angelicus Doctor *erigit* rationis vires, nedum extenuet, ratus injuriam omnem rationi illatam in fidem quoque redundare; sed revelationis necessitatem et diversa munera quæ philosophiæ ipsi affert, describit, alteramque cum alterâ mirum in modum componit.

Docet quippe propria esse philosophiæ principia, quæ viribus suis ratio invenire ac probare potest, sicut potest etiam demonstrare *præambula* fidei, veritates ipsas supernaturales quibusdam analogiis sive similitudinibus illustrare, fidemque vindicare ab objectionibus ex ratione petitis. At docet etiam ex revelatione rationi afferri vires et novas veritates detegi, necnon comprobari ipsa rationis dogmata. Illius ergo eximii Doctoris operibus apprimè conveniunt laudata hæc S. Anselmi: « *Intellectus quærens fidem, fides quærens intellectum.* » Hinc est cur illius philosophia crebrò laudata

(1) Cf. opus nostrum: *Histoire de la philosophie*, S. Thomas.

fuerit a SS. Pontificibus, maximè recens a Leone XIII, in clarissimis litteris *encyclicis*. — Qui ergo eam tenuerit, nunquam philosophiæ detrahet, eritque ad theologiam addiscendam paratissimus.

Porro, cùm scholasticorum doctorum et imprimis D. Thomæ probatissima theologia philosophiæ conjunctissimè connexa sit, si velimus horum theologiâ frui, horum etiam philosophiam addiscamus oportet. Si autem non majoribus traditâ illâ, sed peregrinâ quadam et alienâ philosophiâ juvenes imbuantur, ad theologiam imparati accedunt et impares qui intelligant doctorum catholicorum clarissima opera. Nil mirum itaque *dogmaticam* theologiam a culmine suo, in quo steterat olim, nuper decidisse, quandoquidem jam intelligi non poterant scholastici doctores, a quibus ad normam scientiæ revocata est theologia.

II. *Traditionem servat et criticam opportunam exercet.*

S. Thomas *nunquam* sententiam suam aperit, nisi diversa priùs veterum philosophorum placita retulerit, quæ deinde vel *accipit*, vel *reprobat*, prout ei videntur recta, vel malè, ut ipse dicit, enuntiata.

Quocirca vana est recentiorum quorundam *objectio* adversus S. Thomam, quâ prætendunt eum in Aristotelis, ceu Magistri, verba jurare solitum esse. Qui enim objectionem istam movent, nec Aristotelem, nec D. Thomam satis nôrunt. Aristoteles quippe non est is philosophus quem sequi pudeat, et veriùs forsân sentiebat qui dixit: « Verecundè ab Aristotele dissentio. » Negari enim nequit traditam ab eo esse sinceram philosophandi *methodum*, multa apud eum occurrere, simpliciter, sobriè, profundè dicta, quæ tum experientiâ, tum ratione innitantur, ac demum auctam et *locupletatam* ab eo fuisse *universam* prope philosophiam. Quòd si qua ab eo menda exciderint, illa *corrigere* solet S. Thomas, qui ita Philosophi auctoritatem accipit, ut tamen dixerit: « *Locus ab auctoritate quæ fundatur super ratione humanâ manâ est infirmissimus.* » (1^a, q. 1, a. 8, ad 2).

Cæterùm, Angelicus Doctor non Aristotelis solùm aliorumve philosophorum testimonio utitur, sed SS. PP. et maxi-

mè S. Augustinum sæpe appellat et laudat. Propterea, si verè loqui velimus, dicendum est philosophiam S. Thomæ aliam non esse nisi philosophiæ PP. continuationem, vel philosophiam PP. ad normam *scientiæ* revocatam.

Nam quæ SS. PP., datâ occasione, philosophati sunt, prout impugnabantur, vel occurrebat specialis ratio, collegit D. Thomas certâ et scientificâ methodo, ut in corpus unum coadunaret sparsas priorum doctorum sententias, sicque adstrueret completum quoddam, amplum, definitumque systema, tanquam absolutam christianæ philosophiæ *synthesim*.

III. *Experientiæ et rationi suas æquabiliter partes facit.*

Scholastici a recentibus philosophis vituperari solent, ob inventa systemata *a priori*, vana imaginationis figmenta, neglectâ phænomenorum tum *externorum*, tum *internorum* indagatone. Sed nihil dici potest ab historiæ veritate magis alienum, saltem quod attinet ad scholasticæ philosophiæ duces; non quòd sentiamus eos scientiarum physicarum peritos fuisse, sed quòd nullam philosophicam theoriam alicujus momenti protulerint, nisi post experientiæ hausta documenta, et methodum prorsus scientificam, nempe *analytico-syntheticam* exactè observaverint. Juxta ipsum Aristotelem, *ex phænomenis priùs observatis*, ad *theoriam* condendam assurgendum est, et rursùs theoria semel stabilita ad phænomena particularia applicanda est, ut omnino constet eam cum illis convenire (1). — Quod attinet ad observationem phænomenorum *conscientiæ*, nemo tam diligens eorum investigator quàm D. Thomas, apud quem frequens est is sermo: « *Et hoc quilibet in seipso experiri potest.* »

Alii contrâ Doctorem Angelicum culpant, tanquam *nimis experientiæ*, nec satis *ideis* universalibus intentum, quæ a Platone pulchrè describuntur. Verùm, etsi sæpius Aristote-

(1) « Il ne suffit pas de poser un principe d'une manière universelle à l'aide de la seule raison; il faut encore en montrer l'application à tous les faits particuliers, et aux faits observables, qui eux-mêmes doivent nous servir à fonder des théories générales, et avec lesquels ces théories doivent, selon nous, toujours s'accorder. » (*Opusc. de Animâ*, cit. apud Barthélemy Saint-Hilaire, préf. p. 34).

lem quàm Platonem sequatur, non tamen omninò Platonem negligit, a quo etiam claram de ideis divinis *exemplaribus* theoriam mutuatur. Ne plura, S. Thomæ philosophia *initium* quidem habet, ut par est, a sensibus et diligenti phænomenorum inquisitione, sed ulterius ascendit ad ideas universales; quare *experimentale* simul atque *ideale* systema mirum in modum componit.

Quamobrem, ea firma nobis opinio insidet concordiam optatam inter scientias naturales et metaphysicam, si demum fœdere sanciri velit, a D. Thomæ philosophiâ esse repetendam. — Interim notissimum est eam mirè convenire cum recentioribus physiologiæ et anthropologiæ inventis.

IV. *Sensum communem et rationem metaphysicam bene conciliat.*

Et quidem ita sensum communem sequitur, ut nonnisi responsa illius videatur interpretari; atque ita rationibus rerum et causis altioribus delectatur, ut acutissimum metaphysicum putes. Quocirca philosophia ejus non est nisi sensus communis in seipsum *reflectens*, et ad scientiæ altitudinem firmissimis principiis evectus.

§ III. *Laudatæ dotes in recenti philosophiâ plus minusve desiderantur.*

I. Multi ex recentibus philosophis in *rationalismum* aut in *fideismum* impegerunt, abnegatâ scilicet ab aliis fide, ab aliis ratione. Ipsi etiam recentis philosophiæ *principes*, Cartesius, Malebranchius et Leibnitzius, ut meliores appellem, multa docent de corporum essentiâ, hominis naturâ aut visione Dei, quæ non benè conveniunt cum dogmatibus de sanctissimo Eucharistiæ sacramento, de naturali ac supernaturali ordine, de naturâ unionis animæ cum corpore in homine.

II. Cartesio, Malebranchio aliisque non paucis recentibus crimini vertendum est, quòd *antiquorum* sententias, *omni misso examine*, posthabuerint voluerintque philosophiam a se ipsis oriri. Cartesius namque adstruit philosophiam, suis tantum viribus fretus, non invocatis prioribus philosophis. Malebranchius autem ex industriâ declarat veteres philosophos superesse, et satis esse Cartesium. Exempla hæc secuti

sunt multi; inde longa illa et infausta apud nos veteris philosophiæ oblivio, donec nuper, variis ex causis, antiquorum philosophia iterum honori et studio haberi cœpit.

III. Recentes philosophi *plerique*, vel cum Bacone, Lockio, Condillachio, Stuart Mill et Spencer, in *sensualismum* deciderunt; vel cum Cartesio, Malebranchio, Leibnitzio et Kantio, in *idealismum*, excogitatis a priori systematibus, posthabitis sensuum et experientiæ documentis.

IV. Denique, recentiorum philosophorum opiniones, a Cartesio usque ad Kantium et hodiernos, ita ratione *propriâ* finguntur, ut nonnunquam a *sensu hominum communi* abhorreant. Paucis utemur exemplis: si fides Cartesio, corpora non percipimus, sed cæco naturæ impetu admittimus; animalia sensu carent, nec sunt aliud nisi *automata* affabrè concinnata. — Docente Malebranchio, corpora minime agunt, nec anima in corpus; homo etiam nunc fruatur intuitione Dei. Juxta Leibnitzium, entia mundana non agunt in invicem, homines necessariò moventur ad agendum ex actibus et motibus præcedentibus, qui futuros actus motusque omnes determinant.

Ista porrò aliaque id genus multos moverunt ad credendum philosophiam esse vanam fulemque admodum scientiam.

Hoc quidem intellexit schola vulgò *scotica*, duce Reidio, cui multi, in Galliâ, adhæserunt; hinc nata est schola quam *sensûs communis* vocant, quia eum solum sibi ducem instituit. At verò schola ista ruinam attulit metaphysicæ; *sola* enim *phænomena* externa vel interna considerat, abstinet a causis rerum *supremis* investigandis, quasi rationi nostræ impervii. Sed neglectis rerum rationibus, de medio tollitur philosophia, quæ quidem in iis quærendis tota constat.

§ IV. De stylo D. Thomæ et scholasticorum.

Recentes quidam D. Thomæ et scholasticorum sermonem ut aridum et rudem culpant. Porrò in promptu est responsio, et quidem multiplex. 1° Si ex comparatione argumentari licet, recentium philosophorum sermo sæpe arbitrarius est, novus et admodum mobilis; apud eos, quisque linguam

propriam habet, et iisdem verbis diversum diversi sensum attribuunt, vel ad idem significandum diversis utuntur vocabulis; e contra scholasticorum sermo ita constans est ut ab uno omnes discas. — 2° Cuique scientiæ *proprius* est sermo aliquis ac suus dicendi modus quo res de quibus disserit, vel *brevius*, vel *fidelius* enunciat; hoc autem ei nemo crimini vertit. Simplex itaque S. Thomæ aliorumque scholasticorum sermo, ut scientiam decet (1), at simul *præcisus*, rebus æqualis, *definitus*. — 3° Sermo ille D. Thomæ et nobiliorum scholasticorum, qui hodiernis multis haud probatur, quoniam discendum illum non curaverunt, is est tamen quem clari *theologi* omnes, *concilia* multa et *mystici* non inglorii usurpaverunt, laudâruntque SS. Pontifices.

Cæterùm, cùm se dederit occasio, explanabimus quæcumque verba scholastica usurpabimus, et dicemus etiam quandoque quid iis respondeat apud recentes philosophos. Similiter recentium philosophorum opiniones, ubi opus erit, cum sententiis D. Thomæ comparandas curabimus.

En breviter declaravimus rationes præcipuas cur Doctori Angelico adhæreamus; adjiciamus aliam quæ nos vehementer movet, et quam recentes non pauci fatentur. Hæc autem sumitur ex ingenio S. Thomæ *moderato*, *sapiente*, ab *extremis opinionibus alieno*, et *in medio semper insistente* (2).

Liceat jam his SS. Innocentii VI assentiri: « Hujus Doctoris « doctrina, præ cæteris, exceptâ *canonicâ*, habet *propriè-
« tatem verborum, modum dicendorum, veritatem sententia-
« rum*, ita ut nunquam qui eam tenuerit, inveniatur a ve-
« ritatis tramite deviâsse, qui autem eam impugnaverit,
« semper fuerit de veritate suspectus. » (In oratione de S. Thomâ).

(1) « Omne quod de re bonâ dilucidè dicitur, mihi præclarè dici videtur. Istiusmodi autem res dicere ornatè velle, puerile est; planè autem et perspicuè expedire posse, docti et intelligentis viri. » (Tullius, *De Finib.*, III, 5).

(2) « On n'a pas plus de justesse, de mesure, d'équilibre, dans toutes ses pensées. » (COUSIN, *Hist. génér. de la phil.*, V^e leçon).

« Thomas Aquinas ad solidum tendere solet. » (LEIBNITZIIUS, *Theodic.*, de bonitate Dei, pars II, n. 330).